

Landesbibliothek Oldenburg

Digitalisierung von Drucken

**Henr. Ioh. Nepom. Crantz S.C.A. Maiestat. Consiliar.
Institut. Med. Et Mater. Medic. Vindob. Profes. Pub. Ord.
Acad. Imp. Nat. Curios. Et Societ. Botan. Flor. Sodal.
Materiæ Medicæ Et Chirurgicæ ...**

Crantz, Heinrich Johann Nepomuk

[Wien], 1765

Balsama Liquida.

urn:nbn:de:gbv:45:1-10178

USUS MEDICUS nobis rarus, septentrionalibus frequens, ob vires diaphoreticas, nervinas, soporiferas, & exanthemata pellentes, ut etiam laudetur in Variolis, Morbillis, Scabie, Colica, LINNÆO.

His etiam iungi rerum subtilium, arte chemica præparatarum, odores possunt. Ut:

SALIUM VOLATILIUM, OLEOSORUM,
SPIRITUUM: SALIS AMMONIACI
C. C.
ALIORUM.

BALSAMA LIQUIDA.

Quæ suavissima fragrantia sese recommendarent, putredinis, & corruptionis vim tam externo, quam interno usu prohiberent, veteribus BALSAMA dicta sunt; corpora oleosa, odorifera, linimenti, vel unguenti consistentia, quæ vel natura, vel arte, ex vegetabilium partibus stillant, vel proliciuntur, hodie vocantur. Hæc in nativa, & arte facta dividuntur, priora adhuc in liquida, & sicca. Liquida naturalia, sunt balsamus Toletanus, Peruvianus, Copaivæ, Palmæ, Terebinthina &c. Sicca, Benzoe, Styrax, Calamita, Ladanum, Myrrha, Mastiche, &c.

PRINCIPIA CONSTITUTIVA aqua, spiritus acidus, subpinguis, salinus, oleum multiplex,
BOERHAAVE. *Chem.* T. II.

USUS

USUS. Antisepticus, vulnerarius. Vide BOERHAAVE.

AMBARUM LIQUIDUM. Duplex, incisionis, & coctionis: vix in usu est, tamen fistulis cum successu infundi perhibetur.

BALSAMUS de COPAIVA itidem duplex, albicans, odoris gratissimi potior; aureus, consistens magis, deterior; uterque Peruviano calidior, & quidem non solum urinam violaceo odore, ut alii solent, inficit, sed etiam sapore amaro imbuit, ut ob vim abundantioris stimuli in gonorrhœa maiori dosi periculosus sit. Cæterum vis aliis par, sed quia leviori pretio habetur, frequentiori in usu & quia stimulantior, multo circumspectiori esse debet: datur a guttis aliquot ad decem, quindecim; cum tinctura tartari, antimonii, in essentiam redigitur, in nervorum affectibus frigidis, in glandularum infarctibus, in fluore albo præsertim, si cum vino Hispanico sumatur, præstantissimam. HOFFMANN *de Balsamis*. Resinam radice Angelicæ hocce balsamum referre, & huic substitui posse, SCHMIDELIUS contendit.

BALSAMUS PERUVIANUS duplex, albus, seu incisionis pretiosissimus: niger, seu lotionis vel coctionis, vilior, nobis familiaris, multum aliis acrior.

Est nervorum, tendinum, periostei læsionibus, puncturis, contusionibus, exulcerationibus, parum calefactus, instillatus admodum utilis, etiam unguentis, linimentis, emplastris mixtus, ad alios morbos chirurgicos adhibetur. Internum usum in colica pictonum,

aliis incassum adhibitis, drachmæ semis pondere pro
dosi efficacem SYDENHAM, ad paralyfim HOFF-
MANNUS, experti; ad ulcera interna pulmonum, ve-
sicæ, renum, saccharo, syrupo, vitello ovorum sub-
actum, olibano, sarcocolla mixtum, laudabilem ALII,
dum infuso vulnerario, ut vis aromatica, quæ febrim
hecticam magis semper exacerbatur, temperetur, exci-
pitur; in asthma etiam LINNÆUS laudat, & in spi-
ritu rosarum rectificatissimo nobilissimarum virium es-
sentiam constituere FR. HOFFMANNUS *de Balsamis*;
huius balsami portionem æquali pondere salis tartari
probe mixtam, & tritam, addito spiritu rosarum re-
ctificatissimo, & facta dein in arena destillatione, tam
fragrantem, & delicatulum largiri spiritum, quo non
alia medicina, maxime si ad solutionem ambræ, vel
moschi adhibeatur, præstantior sit, interno usu mire
fovendo, & recreando fractas vires & genus nervosum.
IDEM ibidem.

Dosis gutt. quatuor, sex, bis, ter de die: in syrupo
exhibetur, vel commode cum aquis vitæ stomachicis,
nervinis miscetur. Oleum eius aquæ supernatat, prom-
pte spiritum vini in se recipit, HOFFMANN *de Balsa-
mis*; huic balsamo populi albæ vis substitui potest,
SCHMIDELIUS.

BALSAMUM TOLETANUM in America
ex arbusculæ vulnere stillans, colorem aureum, odo-
rem limoniorum habet, siccum, & fragile ad nos ad-
fertur, calore mollescens. Ad tumores œdematosos,
scrophulas, parotides, valere CLUSIUS. Raro apud
nos, frequentissime apud Anglos in phthisi, & in-
ternarum partium ulceribus, datur. Hoc balsamum
in spiritu vini tartarifato rectificatissimo solutum, gra-
tissi-

tiffimam non minus quam efficacissimam, ad plures internos, & externos usus, essentiam suppeditat. FR. HOFFMANN *de Balsamis.*

OPOBALSAMUM triplex: incisionis rarissimum, primæ coctionis etiam admodum rarum, ultimæ, Europæis officinis familiare: non submergitur in aqua, sed in eius superficie instar telæ araneorum diffunditur, & hæc castitatis nota est.

Vires aliis consimiles habet; specificè diureticas, LINNÆUS, item in asthma, nephritide, podagra, stranguria, efficacissimas NICOLAI, *de Balsamo de Mecha.* Cum parte una huius balsami, duabus olei amygdalini, aquæ q. s. fit unguentum ad perniones, loca frigore exusta, utile. Rami huius arboris Xylobalsamum: baccæ carpobalsamum dicuntur: vix præscribuntur. Abietis, pinique resnam huic balsamo substitui posse, SCHMIDELIUS.

OLEUM PALMÆ ex contusis fructuum nucleis paratur, in loco patrio eduliis, coloris & odoris gratia, mixtum. Butyri balsamici apud nos consistentia, ad rachitidem, paralyticas partes, multum commendatur unctum. Cæterum etiam iniectionibus anatomicis aptissimum habet QUELMALZ, ea proportione, ut ceræ, pro maioribus vasis explendis, olei huius tertiam partem, pro minoribus, quartam adderet.

STYRAX LIQUIDA. *Offic. Botanicorum.* Liquidambarum, Classis ignoratur. *Germ.* Weicher Styrax. *Gallis* Storax liquide. *Anglis* liquid Storax.

BALSAMUS liquidus est, terebinthinacæ consistentiæ, semipellucidus, coloris plumbei, cinereo
N 5 fusci

fusci, odoris validi styracis, saporis multi aromatici. Quid proprie sit? disceptatur. Arte factam, ex specie visci aucuparii, habet PETIVER, in *Transact. Philosoph.* In saliva non solvitur, digitis, ut terebinthina, tenaciter adhæret &c. Estne distincta a liquidambaro officinarum? etiam disceptatur, ut nonnulli sub diversis capitibus recenseant ambo, alii sub uno cogant.

USUS internus rarus, externus frequentior, TOURNEFORTIO in *Actis Parisinis* laudatus in gangræna, quod & unguentum de styrace in nosocomiis Parisiensibus confirmat. Cæterum inter odoramenta adhuc recipitur.

TEREBINTHINA. *Offic. Botanicis* diversa nomina habet. *Germ.* Terpentin. *Gallis* Terebenthine. *Anglis* Turpentine.

TEREBINTHINA ex diversis effluens arboribus diversa, officinis triplex est. Cyprina antiquissima, suppeditatur ex Pistachia *foliis impari pinnatis, foliolis ovato-lanceolatis.* Hæc vulneraria, diuretica, gonorrhœæ, & ulceribus utilis. Vera admodum rara, DUHAMEL.

VENETA ex Larice *folio deciduo*, HAL. circa Brigantionem, & in Alpibus Italicis paratur, vulneraria diuretica, etiam antiseptica, habetur. Ex hac spiritus, oleum. Terebinthina Veneta cum polio montano ad consistentiam massæ pilularis cocta, per septemdecim menses adhibita, drachmæ unius singulo mane dosi, lenire podagram GODOFR. HAHN in *Historia*

storia podagræ, curavit etiam in aliis hunc morbum. *ibidem*.

COMMUNIS. Ex Pinu *foliis geminis, primordialibus solitariis*, L. destillat, magis viscosa, minus pellucida, albicans, odoris ingrati, saporis nauseoli, hinc in substantia medicis non adhibetur. Ex hac spiritus, oleum destillatur; terebinthina etiam coquitur, diuretica, mundificans. Per anum in intestinorum exulcerationibus, diarrhœa phthisim sequente, colliquativa, vitello ovorum soluta drachma una addita uncia semis theriacæ Andromachi lactis recentis unc. quatuor, iniicitur feliciter. Van SWIETEN; in ulcera scopo digestivo mundificante, quæ etiam digerit, datur. Laudat etiam in scorbuto LINNÆUS. Suffitus ano exceptus hæmorrhoides cæcas, dolentes lenit, *Ephem. N. C.*

ARGENTORATENSIS paucis recepta officinis ex Abiete, *foliorum apice bisido*, HAL. stillat. Hanc Venetæ præfert QUINCY. Terebinthinæ balsamis Americanis non cedunt, & urinam etiam, quandoque salivam, violaceo colore inficiunt; quin urinæ difficultatem, & tenesimum a nimia venere, superavit hoc balsamo in *Ephem. N. C.* MAUGHART.

PRÆPARATA.

OLEUM ÆTHEREUM, male spiritus terebinthinæ, membranis, nervis, tendinibus, laceratis, punctis, sectis, calide infusum incomparabile anodinum, antispasmodicum, BOERHAAVE. Arteriis, venis, in magnam hæmorrhagiam læsis, multum calidum, splenis appressum, promptissimum stypticum, IDEM. Tumores frigidos, lentos, mucosos, calidum affricum
discu-

discutit, partes etiam a frigore defendit, IDEM. *Oleum terebinthinæ spissius* etiam anodinum, sed magis emolliens, interne sumtum in melle, vel alio syrupo, ischiadicis, & rheumatismo laborantibus, auxilio est, minori dosi; alias enim diabetem, stranguriam, urinam cruentam, febrem inducit, ut oleum essentielle; **STEDMANN** *Society of Edimburgh* T. II.

TEREBINTHINA cocta forma pilulari interne dari potest, hæc, non cocta imbecillior, non tamen effœta.

COLOPHONIA ossibus denudatis, periosteo, tendinibus læsis, cum effectu inspergitur, etiam fluxui ferroso articulari, pulvis inspersus medetur, prodest etiam in ani procidentia in suffitu.

RESINA ABIETINA diverso in diversis regionibus artificio obtinetur, vulgo ex vulneratis tædis, exstillans resinofus humor in consistentiam siccam in aqua coctus, sub nomine huius resinæ in officinis habetur; atque hæc ratio est, cur flammæ candelæ admota etiam non continuo ardeat, sed difficulter, & cum aquosarum partium deiectione, & explosione inflammetur.

USUS MEDICUS LINNÆO in scorbuto & arthritide laudatur, & nuper aquam medicamentosam, aquæ picis æmulam ex ea præparavit **Cl. LANGHANS**; dum Resinam abietinam albam in mortario ferreo in pulvere tenuissimo redactam sensim curaret emulgeri aqua, donec eadem lacteum contraxisset colorem, tumque in lagenas infunderetur in usus servanda. Vitrum omni bihorio in dosim dedit in tussi etiam perti-

pertinacissima phthifica: in casu vero ubi sputa essent tenaciora, libram huius aquæ superfundebat manipulo scordii, qua n sic aliquot diebus, vel in sole, vel in loco calidiori digereret, digestam propinaret. Aqua hæc non adeo nauseosa est, ut aqua Picis, terebinthina-cum saporem, non tamen ingratum habet. Observavi ficcare nimium, & sputa supprimere, etsi solum unciam unam sumerem, ad tres ænophori quadrantes.

PIX LIQUIDA quæ & CEDRIA liquida dicitur, ex Pini, Abietisve radicibus, & pinguioribus aliis harum arborum partibus, per ignem eliquata resinosa materies, maxime ex Suecia, Norvegia, & Thuringia nobis adfertur. De Suecica retulit *Illustr. ACAD. N. C. Cl. Vir WALLERIUS*, in *Vol. IX.* duplicem esse, viliozem unam, nobiliozem aliam, viliozem per distillationem largiri.

- I. Aquam instar aceti acidam, quæ simul amara sit.
- II. Oleum album sapore igneum, & quod in recessu adstrictionem aluminosam habeat, & cum spiritu flammifico nitri placide uniatur, expul-sis fumis rubris, & relicto in fundo coagulo; cum oleo Vitrioli maiorem efficiat fumum, & calorem, & maius coagulum; cum spiritu salis ammoniaci prompte se commisceat, supernatan-te cuticula; cum oleo tartari per deliquium ef-fervescat, ac rubeat.
- III. Oleum rubicundum, quod recens tenue suc-cessu temporis spissescat, in igne prompte & fortiter deflagret, aquæ destillatæ innatet, con-cussione vero in globulos rotundos minores se-cedat, qui in aqua tarde fundum petant, in al-coho-

cohole brevi, nulla tamen tinctura alcoholi communicata, oleo etiam in posteriori hoc liquido resinoso facto.

IV. Caput mortuum durum fragile lithantraci æmulum ignescens quidem carbonibus iniectum, sed nec fumans nec flagrans. Constituit hocce fere $\frac{1}{10}$ partem Picis vilioris.

Nobilioris vero nec Suecis venalis, nec exportatæ picis, aliis etiam artificiis elicita analyfi obtinetur

I. Oleum tenue pellucidum flavo - fuscum odoris grati, supernatans; huic grumofum coagulatum, albescens aliud immiscetur. Ex hoc OLEUM TEMPLINUM destillatur, oleo terebinthinæ de resina abietina destillato, longe præstantius; a destillatione resina, odore & sapore Balsamo de Meccha conveniens, residua est.

II. Aqua acida, quæ duplex fere fit: hæc nigro viridis, alia fusca; acidæ ambæ, oleosæ ambæ, & commiscibiles.

III. Ipsa Pix vulgari præstantior, clara, pura, tenuis, consistentiæ vernicis ex oleo lini parati.

IV. Sub hac pice quiescente deponitur oleum fuscum acidum, odore fere carens, & vix ignem concipiens.

Aqua cedriata more Barkleyano ex vilioris cedriæ & aquæ puræ anaticis portionibus rite confecta in experimentis sequenti modo se gessit; coagulabatur & præcipationem producebat cum liquore vini probatorio, syrupum violarum viridi colore tingebat, solutionem Lacmus rubescente; admoto sale tartari soluto,

to,

to, nec movebatur nec mutabatur; evaporatæ unciæ duæ dedere extracti aquosi drachmam, saporis instar aceti acidi, & amygdalarum amararum, anari, quod tamen oleum tartari per deliquium non moveret, sed solum colore flavo rubente tingeret. IDEM *Vol. eodem.*

Tum etiam in Volumine X. eidem *Acad. N. C.* per multa experimenta, examen & differentias picis norvegicæ & thuringicæ proposuit *Cl. VIRBREVERER*; norvegicam minus simplicem & sinceram, actuosiore tamen ob oleum atherum, & magis medicamentosam ob salem acidum, oleoso-resinosam vero magis thuringicam nec adeo efficacem adinvenit, ut & posterioris infusum debilioris odoris, saporis paululum tantum acidi esset.

USUS PICIS internus Succis domesticus, ut in Variolis antiquissimus: externus in erysipelate vulneribus, ulceribus etiam receptus. Aqua Picis in America omnium primo in usus medicatos deducta est, dein celebritatem in plurimis casibus in Anglia habuit Auctore *BERCKELEY* Episcopo Hiberno. Confectionis modus sequens est: Picis liquidæ pars una cum aquæ puræ partibus duabus cochleari ferreo quatuor sexve minutis agitatur, & commiscetur, commixta per quadraginta octo & ultra horas in quiete reponuntur, donec omnis pix in fundo confederit, quo facta aqua despumatur, decantatur, lagenis clausis servanda. Dosis pro ratione morbi libræ I. II. nyctimeri spatium etiam libra una omni hora. Sed nimium laudavit *BERCKELEY*. In asthma, ab hydrope pectoris dependente, funestum eventum notat *Cl. WALLERIUS Acad. N. C. Vol. IX.*

Cæterum balsamica est in morbis cutaneis, lepra egregia & in lue venerea adhibent Cairi *HASSELQUIST.*
exter-

externe in ulceribus & fistulis utilem deprehendit *LEBEAV. Recueil periodique &c. T. VII.*

ESSENTIA picis liquidæ *HOMPSWOOD* adeo celebrata, nihil aliud est, quam simplex extractio picis liquidæ Norvegicæ, cum spiritu vini tartarifato parata, *BREVRERI* testimonio *Acad. N. C. Vol. X.*

PIX SICCA artis potius, quam naturæ productum inter dropacissimos Chirurgis olim tantum usurpatum.

BALSAMA ARTIFICIALIA.

Infinita tam simplicia, quam composita: simplicia acido nutrita conflantur, composita variis ad se commixtis exurgunt.

BALSAMUS ARCÆI sevo cervino, terebinthina, gummi elemi, & axungia porcina confectus, mundificans, digestivus.

FINIS TOMI I.

